



**Consiliorvm Sive Responsorvm Avgvstini Beroii Bononien.
I. C. Praestantissimi Volumen ...**

Cum Summariis, & Indice rerum, ac verborum locupletissimo

Pontificij iuris, Contractuum, seu Dispositionum inter viuos materias
distinctè continens

Bero, Agostino

Venetiis, 1577

Il[ustrissi]mo Ac Rev[erendissi]mo Domino D. Hannibali De Capua Sedis
Apostolicae apud Serenissimum Venetorum Imperium Legato amplissimo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96504](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96504)



MO MO
ILL· AC REV· DOMINO
D. HANNIBALI DE CAPVA
SEDIS APOSTOLICAE

apud Serenissimum Venetorum Imperium
Legato amplissimo

CVM institutum illud semper probavi, libros, qui in vulgus exeunt, iis commendandi, qui & auctoritate, & generis nobilitate excellent, quod aduersus maleuolorum calumnias quodam veluti Aiakis clypeo protegantur; tum verò iis ipsis, qui eo de genere, quod in libro pertractatur, prudenter differe- re, acutèq. disputare sciant, commendari debere, semper existimaui: eorumq. qui vel sua, vel aliorum monumenta, personarum nulla prorsus ratione habita, ei, qui primus in mentem venerit, modò auctoritate polleat, credere soliti sunt, consilium numquam laudaui. non enim id agunt quod uolunt, ut is, cuius tutelæ liber creditur, possit eum, si se obtulerit occasio, sartum tectumq. seruare. ut enim cæcus de colore nequidquam iudicat, ita, si Theologicum (verbi gratia) librum ei, qui licet aliarum artium cognitione egregiè instructus, Theologiæ tamen rudis sit, nuncuparis, quid, quæso, efficies, quo tibi ipsi tuæq. voluntati satisfacias? Hoc ego cum optimè norim, cumq. valde mihi cauendum sit, ne in eam, quam deuoto, foueam incidam, cum excellentissimi præclarissimiq. Iurisconsulti Augustini Beroi Consiliorum volumina mihi denuo edenda, emendatioraq. ac lectu speciosiora publicanda essent, faciundum mihi putavi ut ea satis apto munirem patrocinio. Te igitur Illustrissime, ac Reuerendissime Præsul ex omnibus vnum, optimo iure delegi. tu enim; quod omnibus constat; generis nobilitate, splendoreq. mirificè fulges. Cum namque in præclarissima, nobilissimaq. ciuitate Neapolitana supremi omnium ordinis sis tu, tuiq. omnes vniuersi, an vulgare, contemnendum ve putas, familiam tuam esse in principibus amplissimæ omnium in ea ciuitate Nidi (quam vocant) sessionis? Tantum verò abest ut à maioribus tuis omni decore, gloriaq. affluentibus, ad te ornandum quidquam haurias, ut etiam iis ipse non exiguo sis, ac futurus etiam sis ornamento. Tuas enim omnes curas, omnesq. conatus ad litterarum studia semper adhibuisti, cumq. singularem atque excellentem in omnibus facultatibus, præcipue verò in diuinarum hu-

manarumq. rerum cognitione, quæ Iuris prudentia vocatur, doctrinam, atque eruditionem multorum annorum studio tibi compararis, prudentiam etiam, quam à Natura hausisti, maximarum rerum experientia iure auctam voluisti. Quorum alterum cum in vno conspicimus, maximum quiddam iudicamus; cum verò in aliquo simul coniunguntur, præclarum nescio quid atque excellens fieri necesse est. Quod cum Pastor optimus probè cognorit, ut est animo semper erga tui similes vehementer propenso, tuam in maximis rebus à se virtutem honestari debere existimauit: teq. nuper ad Serenissimum Imperatorem misit, ut eius Maiestati delatam dignitatem gratulareris. Quæ quidem Legatio ipso nomine simplex, atque vnica, re autem vera multiplex, & varia fuit, cum tu eodem itinere tot alias legationes præclare confeceris; ut qui & Florentiæ Magno Duci, Vxoriq. & Serenissimis Ferrariæ Bauariæq. Ducibus diuersis nominibus gratulatus fueris, idemq. cum Serenissimis Austriacis Archiducibus tum gratulandi, tum vnà mœrendi munus obiueris. Quo quidem in munere cum non solum Pontificis expectationi optimè responderis, sed etiam te ipsum viceris, nihil mirum si te primum Sacro aureæ Rosæ dono; quod à Max. Pont. ad Catholicos Principes mittendum concinna ri solet; ad Serenissimæ Reip. Venetæ procures ferendo, moxq. eiusdem Reip. huic honorificentissimæ Legationi destinauit. id verò quanti est, reputa tecum ipse. tu missus à Pontifice, at à quo Pontifice? à Gregorio Tertiodecimo, cuius eximium acerrimumq. iudicium præsentis & absentes suspiciunt atque admirantur; missus ad Remp. Venetam singulare religionis probitatis, omnisq. virtutis exemplum, quæ nisi ab iis administraretur, eorumq. iudicio regeretur, quorum singuli toti ferè orbi terrarum iura dare sanè digni sunt, nec tantùm steterisset, nec aternò duraturam sapientes viri iudicarent. Vide igitur in quàm illustri loca sita sit virtus tua. Cuius splendore cum plurimi capiantur, teq. vix dum in hanc urbem ingressò, tuam gratiam quouis modo aucupari studeant, multosq. & insignes de tua laude sermones ferant (ex quibus vnus est Antonius Persius, tuarum maximarum virtutum prædicator & admirator egregius, tuæ amplitudini omnium addictissimus); ego, qui communi studio ac rumore impulsus, Persiumq. auctorem secutus, in dicendum tuorum numerum aggregari summopere cupiam, nihil habui antiquius, quàm ut hanc tibi meam voluntatem significarem. Volui igitur, cum eiusmodi consilia in hominum manus sub tuo nomine emitterem, aliquod obseruantia in te meæ testimonium proferre. Tu muneris nostri tenuitatem humanitate tua subleuabis, efficiesq. ut quantum à meritorum tuorum dignitate absum, tantum pro tuo singulari animi candore, ac benignitate mihi facultatis tribuas ad ea conanda, quæ non mediocrem studiosis vtilitatem sint allatura. Vale.

Illustr. ac Reuer. D. tua

Addictissimus

Franciscus Zilettus.